



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

lesu Christi Annus. M.D.XXV. Sancti Patris Benedicti. M.XLV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

que interpositis Angelicis Salutationibus, quasi Dominicanam Coronam dicere a seculant, supplicarique nobis humiliter fecit, ut ad excitandum Fidelium devotionem, aliquam Indulgentiarum gratiam, eam Coronam Domini dicentibus cedere Apostolica Benignitate dignaremur. Nos vero quibus incumbit, & honorem Domini nostri IESU Christi quantum ipso auxiliante possumus augere: & omnibus Christi fidelibus devotionis incitamenta praeberere, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictum orandi modum ab illo seniore, reclusoque Eremita excogitatum, approbamus confirmamusque & CORONAM DOMINI volumus appellari. Quod orationis genus, ut à Christi Fidelibus devotius suscipiatur, frequentiusque excolatur, universis & singulis utriusque sexus, cujuscunque status, Ordinis & professionis, qui eandem Coronam Dominicam semel in die dixerint, per singulas vices decem annorum Indulgentias; his vero, qui justo amoto impedimento, per continuum anni circulum, eandem Dominicam Coronam semel in die dixerint, ultra praedictam summam mille annorum Indulgentiam, de nostrae plenitudine potestatis, Auctoritate Apostolica concedimus & largimur. His vero, qui ad extremum usque vitae diem, eam Domini Coronam semel in die dixerint, eadem annorum summam duplicamus, & discedentibus ex hac vita, Apostolicam largimur Benedictionem. Quia vero difficile esset, praesentes litteras ad universorum notitiam pervenire, nisi oportuno provideretur auxilio, eadem auctoritate volumus & decernimus, ut transumptis etiam impressis, sigilloque sacro Camaldulensis Eremitae, & alicujus Eremitae subscriptione munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris exhiberetur: Volentes, ut omnes Praedicatorum, ad quorum notitiam haec pervenerint, eas in praesentia populorum publicare possint. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Florentiae sub annulo Piscatoris, die 18. Februarij 1516. Pontificj nostri anno tertio. Per manum Petri Bembi. Rosarium idem Gregorius XIII. pluribus & majoribus Indulgentijs ornavit, & magno Republicae Christianae bono propagandum censuit. Videantur Augustinus Florentinus, Lucas Eremita & alij.

Incredibilis, virorum sanctitate, doctrina & genere Illustrissimorum in una unica Hispaniarum Ordinis no-

stri Congregatione, magno cum ornamento Ordinis universi se prodit, ex quibus vel unum saltem alterumve Montserratensis Archisterij solo nomine celebremus. Excelluit inter alios praclarissima sanctitatis fama commendatissimus M. F. Christophorus de Zamora, verè simplicitate Columbae juxta ac serpentis prudentia praeditus. Inter alia mille merita, à DEO Prophetico Spiritu edoctus, quo suam, aliorumque, ex nomine, Montserratensium mortem praecognovit, & difertissimè praedixit. Nec minor sanctitas, atque ab hac in caelo terrisque gloria Fratris Mauri de Alfaro, Magistri Novitiorum absolutissimi in eodem Archisterio sanctissimo, & Deiparae unice dilecto ut sacro, ante cujus beatissimum obitum, triduo ante singulis noctibus Angelorum applaudentium, & quasi gratulantium plausibiles cantus exauditi sunt. Sed & R. P. F. Francisci de Beiar, viri innocentissimi sanctitas illuxit: ita superis etiam ipsis commendata, ut ad ipsum Magna caelitem Regina & Imperatrix invisere dignaretur & sua praesentia moriturum gratiosissimè solaretur. De multo pluribus, etiam diversorum Caenobiorum Abbatibus & Caenobitis sanctis atque eruditis, consulendus Ant. de Jeyes & alij rerum Hispan. Scriptores.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XXV.  
Sancti Patris Benedicti. M. XLV.

Sydera Ordinis Illustrissima è caelo Benedictino, exsplendescunt, hoc ipso anno: R. P. F. Galeatius Gabriellus, qui tricis mundi hujus feliciter extricatus, se ipsum DEO dare non contentus, sua etiam omnia una secum DEO obtulit; & novae Militiae Montis Coronae nomen dedit. Cujus utique, tanti viri ingressus, plenissima hujus Reformationis confirmatio extitit, teste Luca Eremita, & ab Galeatij conversione, Herois nimirum genere & auctoritate spectatissimi, multo maxime Ordinis sanctissimi propagatio, promotà est, de cujus laudibus, fufius idem auctor, & nos alibi. Justinianus deinde Bergomensis, vir pietate eximius, doctrina clarissimus, naturali cultissimus ingenio, ornatissimis moribus, Religione pius, Congregationis ejusdem famam mirifice auxit, atque

Congregatio Hispanica.

V. Christophorus de Zamora.

Ven. Maurus de Alfaro.

Ven. Franciscus de Beiar.

Galeatius Gabriellus.

V. Justinianus Bergomensis.

atque adeo Ordini, atque Orbi univ-  
 verso multis modis profuit. Sed ante  
 omnes Paulus ipse Justinianus, Vir.  
 sanctissimus enituit, de cujus laudibus,  
 ista Historia Romaldina. Hic doctrina  
 plenus, verbo potens, calamo fa-  
 cundus atque luculentus. Nec vacua  
 fuit in eo Gratia DEI; cum multos à  
 via peccati converterit; quos secum  
 ad Religionem traxit: plures vel ali-  
 bi, vel domi, piè vivere edocuit; in-  
 numeros à blanditijs sæculi, ad duri-  
 simam pœnitentiam vivo sermone,  
 operibus exhibitis transire compulit,  
 Ejus, inter relicta ingenij monumenta,  
 laudantur *Constitutiones Eremiticæ*; de  
 vera item *hominis felicitate*: De officio Pon-  
 tificis ad Leonem X. [unde colligas quam  
 proprium nostris fuerit, absque adu-  
 latione, Ecclesiæ universæ in capite  
 mederi] *Tractatus de obedientia*: de De-  
 cem gradibus Amoris DEI. De Pœnitentia.  
 De Eucharistia. De Contemplatione.  
*Opuscula alia cepta, nec vero consummata*  
 quæ centenarium numerum, teste  
 Beato Justiniano Bergomeni superant.  
*Videatur Lucas Eremita in Rom.  
 Mon.*

Mortuo superiore anno Joanne  
 Abbate Crēmiphansenfi viro Religio-  
 sissimo & doctissimo, qui fuerat Ma-  
 ximilianol. Imperatori Augusto à Con-  
 fessionibus & conscientia secretorum  
 solertissimus & Religiosissimus arbi-  
 ter, succedit Leonardus, exemplar.  
 virtutum omnium continuante apud  
 Austriae utriusque Monasteria, fervore  
 laudatissimo Mellicensis Congrega-  
 tionis, Ascetisque Monasteriorum, non  
 tantum Disciplina solidè Monachica  
 florentibus, sed & litterarum insigni  
 frequentia, ita ut in illis partibus  
 Religio Catholica insignes aleret pro-  
 pugnatore.

In Gallijs mirum in modum pro-  
 ficat laudatissimum Reformationis stu-  
 dium, & noviter Reformati plurima  
 quamprimum Canobia junguntur, se-  
 que mutuo excitant, & tanquam ani-  
 malia illa Evangelica exsuscitant; jux-  
 ta illud Ambrosij: *Flammescat igne cha-  
 ritas accendat ardor proximos*, ipsis quo-  
 que secularibus igne illo exempli Be-  
 nedictini, ad meliorem frugem revo-  
 catis. Ex R. P. *Amandi Tribout. com-  
 municatis.*

Evocatur ad æternitatis pro mag-

nis laboribus præmia Ven. Pater Pe-  
 trus Delphinus quondam Generalis sac-  
 cræ ad amulsum Regulæ familiæ nos-  
 træ Camaldulensis, exemplar absolu-  
 tissimum omnimodæ perfectionis, de  
 Ordine universo meritisissimus, anno  
 ætatis 81. professionis sexagesimo ter-  
 tio, 17. Cal. Februarij felicissimè ex-  
 tinctus, postquam 85. Ecclesiæ sum-  
 ma devotione & præparatione muni-  
 tus Sacramentis, mira animi demis-  
 sione Fratres si quem unquam offendi-  
 dit, esset deprecatus. Tandem ge-  
 stiens & gratulandus, ea Prophætæ  
 repetens: *Defectio tenuit me*, &c. & rur-  
 sus: *In manus tuas commendo Spiritum  
 meum*. Creditus à puero, illibatissimus  
 Virginitatis cultos ad extremum us-  
 que anhelitum extitisse, cui sanctæ  
 orationem recitavit Reverendissimus  
 Eusebius Priolus Carcerum Abbas vir  
 præstantissimus & optimè meritis. Ex  
 monim. Camald.

Ipso anno, ut quanti Numen ip-  
 sum faceret rigorem sacra Familia  
 nostræ Olivetana facile advertas, Ve-  
 nerabilis Francisca Leophanta, Virgo  
 Panhormitana Ord. S. Francisci, cœ-  
 lesti afflata lumine, Olivetanam exoptat  
 ambitque disciplinam; & à Cognatis  
 condendo Canobio aream impetrat,  
 cum templo GRATIARUM, Vir-  
 gini DEI paræ consecrato, nec non cum  
 hortis domiciliisque nonnullis, ubi  
 Virginibus Benedictinis Olivetanis  
 Monasterium exstruxit, & cum qua-  
 tuor alijs impetrata licentia priore de-  
 posito habitu, Olivetanum assumpsit,  
 Abbatissa loci perpetua cooptata, ubi  
 exemplo vitæ perfectioris eximio ca-  
 teris præluens, inter singularia Or-  
 dinis ornamenta computari meruit.  
 Ex Lancellatto.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLVI.  
 Sancti Patris Benedicti. M. XLVI.

Commune hoc ipso tempore &  
 Anno Mediolanensium omnium  
 refugium in orami infirmitate & tri-  
 bulatione in Monasterio Benedictini  
 Ordinis Virginum S. Margaritæ Vir-  
 ginis & Martyris honori & nomini fa-  
 ero, ad perfectissimam omnibus san-  
 ctitatis Dei sponfam Venerabilem Ma-  
 riam Catharinam Brugoram, quam  
 DEUS Optimus Maximus tantis donis  
 cumulavit, ut omnibus quibuscumque

ad

Petrus  
 Delphinus  
 Generalis.

Felix obi-  
 tus.

B. Catha-  
 rine Bru-  
 gora mira  
 cula.